



I Oannes ille patria Mosellanus in villa Trittenheim Treuerensis diocesis anno millesimo quodringentesimo sexagesimo natus est. Is in iuuentute sua amore literarum hinc inde ad Academias profectus, magnam eruditionem nactus est. fuit enim Philosophus, Mathematicus, Poëta Historicus, & Theologus insignis. præterea multis animi & corporis uirtutibus prædictus. Ut autem is commodiis bonis authoribus inuigilare atq; studijs operam dare posset, anno ætatis uicesimo secundo, Benedictinū ordinem assumpsit, ubi cum literis deditus modeste uiueret, altero statim conuerzionis anno Abbas monasterij S. Martini in Spānheim Moguntinensis diocesis electus fuit. quam functionem magna dexteritate administravit. Scripsit is plurimos libros, quibus posteritati suam diligentiam & doctrinā commendauit, utpote (sicuti ipse met de se testat) statuta sui ordinis de uisitatione monachorū, de temptationibus, de miseria huius uitæ, cum multis alijs. Postea uero egregium opus descriptoribus Ecclesiasticis incœpit, & septimo anno absoluuit, in eo S. Hieronymum, Gennadium, Honorium, & Silvigerium imitatus. Habuit autem plura certamina cum monachis, & cōqueritur quod non tam Christus quam Aristoteles in suggestu prædicetur. Admonet etiam non Philosophiam & fabulas, sed legem & Euangeliū in Ecclesia Dei proponendum. Cum autem & ipse Astrologia & artibus abstrusioribus nimiam operam impenderet, id à quibusdam ei uitio datum fuit. Clariuit sub Alexandro sexto pontifice, & Maximiliano Cesare, anno millesimo quadrungentesimo nonagesimo nono. Trithem. de seipso. M. Illyr, in catal. test. uerit.